
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto por el que se admite la suspensión parcial del Decreto del Pontificio consejo para los Laicos, de 24 de mayo de 2011

Prot. n. 45064/11 CA

N

*Decreti d. 13 decembris 2010 circa “Con-
fraternidad de X”*

(Exc.mus Archiepiscopus – Pontificium
Consilium pro Laicis)

SUSPENSIONIS

Hierarchico recursu proposito ad-
versus assertam inertiam Exc.mi Ar-
chiepiscopi N, Pontificium Consilium
pro Laicis, decreto die 13 decembris
2010 lato, statuit:

1. Cl.mum D.num Y suum locum
habere in indice X Maiorum post
Cl.mum D.num R et ante Cl.mum
D.num S; hoc modo, post renuntiatio-
nem in favorem Cl.mi D.ni R, anno
2012 ipsius erit solemnitates in hono-
rem Beatae Mariae Virginis apparare.

2. Cl.mos fratres D.nos Z et V suos
locos habere in indice consociationis, si
intra terminum triginta dierum utilium
a decreto notificato portiones annuales
ab anno 2004 solvant.

3. Exc.mum Archiepiscopum invitandum esse atque invitari ad Commissarium consociationis designandum, necnon suo tempore, discretioni Exc.mi Praesulis concredito, electiones convocare ad consilium consociationis renovandum; in quibus electionibus Cl.mus D.nus T voce passiva carebit quoad officium Secretarii.

Quod adversus decretum Exc.mus Archiepiscopus die 19 februarii 2011 ad H.S.T. recursum proposuit, quo suspensio quoque actus impugnati petita est.

Mens, negativa quidem, de actu suspendendo a Pontificio Consilio litteris diei 24 martii 2011 patefacta est; nam consociatio «abbisogna di urgenti provvedimenti per regolarizzare la sua vita associativa, nonché la sua situazione amministrativa».

Per Exc.mum Archiepiscopum N mens quoque petita est a Cl.mis Viris, qui recursum hierarchicum proposuerunt, qui per eorum Procuratorem responderunt.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

pro comperto habito quod de suspensione decernitur ratione habita fumi boni iuris atque damni, quod reparari nequit;

Ad primam statuitionem decreti impugnati quod attinet, attento quod:

- Pontificium Consilium decretum ad rem emisisse videtur una spectata relatione Visitationis canonicae, quam Exc.mus Archiepiscopus N iussit peragendam;

- quae relatio ad rem animadvertit: «La no coincidencia de la fecha de inscripción de Y en el Libro de “X vivos y Difuntos de la Confraternidad”, que a su vez contiene otro en el que consta el listado de “los comprometidos al cargo de X Mayor” con posibilidad de organizar la fiesta, es tan evidente como inexplicable [...] El más que probable error que ya hemos apuntado anteriormente es uno más de los contenidos en los Libros y puede tener su origen, según reconoce el mismo Secretario de la X [...] en un fallo de transcripción por él mismo realizado, en un error de Y en solicitar su inclusión en la lista de comprometidos en fechas distintas a la de su pertenencia a la Confraternidad o al fallo de un posible intermediario al que Y encargara transmitir su voluntad de entrar a formar parte del listado de “comprometidos”»; ex quibus patet plura argumenta adducta esse inter se discrepantia, et quidem non unius valoris relate ad decisionem dein a Pontificio Consilio sump-tam;
- damnum in casu timendum est, quod reparari nequit; nam designato Cl.mo D.no Y in X Maiorem pro anno 2012 ad sollemnitates in honorem B.M.V. apparandas, decisio ab hoc Supremo Tribunali forte eidem adversa suo tempore ferenda, in cassum cadet, ipse Cl.mus Y suum utile iam habebit atque irreparabiliter ac diu ordo X Maiorum perturbatus erit; econtra, si decisio H.S.T. Cl.mo Y favebit, suspensione hac nullum damnum eidem inferretur; nam

annis proximis insequentibus ipse
solemnitates apparare potest;

Ad ceteras materias controversas
quod attinet, animadverso quod, prae-
termisso examine de fumo boni iuris,
nullum damnum videtur timendum;
nam:

- collocatio Cl.morum fratrum
D.ni Z et V a Pontificio Consilio
decreta, nullum effectum proxi-
mum parere videtur;
- designatio Commissarii consocia-
tionis verbis praescriptivis a de-
creto impugnato haud est imposi-
ta, ac proinde Exc.mus Recurrens
non eget suspensione ad praefa-
tam designationem etiam usque
ad recursus exitum, si opportu-
num existimet, comperendinan-
dam;

Vi art. 96 *Legis propriae* qua regitur
haec Signatura Apostolica;

re sedulo examini subiecta in Con-
gressu die 24 maii 2011 *coram* Em.mo
Praefecto habito,

decrevit:

Petitam suspensionem in casu con-
cedendam esse et facto concedi tantum
relate ad decisionem Pontificii Consilii
de Cl.mo D.no Y inscribendo in indice
X Maiorum post Cl.mum D.num R et
ante Cl.mum D.num S ac proinde de
iure ipsius Cl.mi Viri anno 2012 solem-
nitates in honorem B.M.V. apparandi.

Et notificetur omnibus quorum interest ad omnes iuris effectus.

E sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 24 maii 2011

Raimundus Leo Card. BURKE
Praefectus

+ Franciscus DANEELS, o.praem.
Secretarius